

persuadeat, se multum utique proficere, infantes diligentissime conquisitos coelo per Baptismum pariendo.

20. Genus est diabolicarum insidiarum maiorem alibi divinis obsequiis spem ostentare, simulque persuadere, alio in munere aliove in loco pluribus bonis praestari posse; quo id agit daemon, ut scilicet sollicitet, turbet et avertat eos qui utiliter Deo, ubi sunt, operam navant, eosque ex illa Regione, ubi fructuose laborant, expellat in aliam ubi saluti consulunt pauciorum; utque zelum suum pro aliis officiis et locis servantes, nunc illud cui praepositi sunt munus negligenter obeant. Hinc fit, ut tales neque in iis locis, ubi esse cupiunt, quidquam proficiant, eo quod absint, neque ubi sunt, sibi, aut aliis prosint, eo quod alio migrare cogitent. Proin missionarius inducat in animum, nusquam se melius quam ubi a Superioribus constitutus sit, operam Deo navare posse. Et simul confidat, Deum, ubi tempus fuerit, hanc iis qui praesunt, mentem daturum, ut eo illum potissimum mittant, ubi ipsius labor fructuosissimus sit futurus. Interea occasiones sui zeli exercendi non differat in alia tempora nec in alia loca, sed quocumque tempore, et ubique locorum omnes, et quasvis occasiones fructificandi avide arripiat, quasi in eodem loco et officio ipsi semper persistendum sit.

21. Dum se itineri Indico accingit, caveat ne se inordinata sollicitudine nimis rebus oneret, neve humanis praesidiis fretus aliquid de fiducia Dei deperdat; sed potius exemplo S. Xaverii, qui ne quidem oblata sibi remedia contra frequentissima venena acceptare sustinuit, omnem spem suam in divinae providentiae praesidio collocet.

3.2. *Pro missionariis Indiarum et Americae*

[1r]

Pro Missionariis
Indiarum et Americae
V.V.

+

Consultatio de Protectione
Indica &
Oratio communis –
V. G. Veni Sancte Spiritus

Praeludium primum.

Verba Christi apud S. Lucam. C. 14. V. 28. Quis ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo coepit adificare, et non potuit consummare.

Praeludium secundum

Oratio peculiaris, quâ petam humiliter Divina gratia, ad hanc gravissimam Consultation[em] (ex quâ nimirum pendat aeterna mea, vel Beatissima vel miseria) iuxta DEI voluntatis, recte peragendam.

Punctum primum

Considerabo altitudinem turris quam [.....]
 Haec est Praedicatio Evangelii, apud infideles
 barbaras nationes, forte cum Auctori[.....]
 Est opus vere Apostolicum, plenum ta[.....]
 [.....]tis corporis, et anime: ubi perpendam [.....]
 [.....]nda, naufragiorum, carcerum, term[.....]
 [.....]rum, tentationum praesertim co[.....]
 [.....]as procaces, prope nudas, occasiones [.....]

[1v]

mediorum necessariorum defecta, subitis casis,
 scandali, apostasia, atque aeterna damnationis.
 Quid autem prodest homini, si mundum universum
 lucretur (ut Dominus noster ait, C. 16 V. 26 S. Matth.)
 animae vero suae detrimentum patiatu[r]?

Punctum secundum.

Sedebo igitur, id est quiete considerabo, et computabo sumptus qui necessarii sunt & Talis sumptus inprimis est, magna, et extraordinaria Gratia DEI; unde mihi eam possum polliceri? Deinde

magna Virtutum omnium, sigillatim profundae Humilitatis, heroicae Magnanimitatis, Fortitudinis Constantia, et ardentissimae Charitatis, insuperabilis Zeli Divini, et tandem perseverantiae. Quantum vero apparatus harum Virtutum habeo? unde? quando? ubi? quomodo mihi comparatio?

Punctum tertium.

[Ex]aminabo me accurate, an et quando, ex ut [.....]candi artem didicerim? Et quam imprudens [.....] periculi consilium sit, sinde debitâ peritia [tam peri..] sum aedificium inchoare. Quid si prius [.....]sullis aedificandis (id est in pueris ad pietatem in [.....]) me utiliter exercerem? Quid si miram [.....]ticandi artem in Scholis Theologicis, et tertium [Probationis] anno prius addiscerim? Quid si in conti- [.....]catione imbecillitatem meam magis co- [.....] adeoque ad tantum opus melius diutiusque [.....] disponer[a]m?

[2r]

Colloquium

Addam plenum optimis affectibus, ex superiore Meditatione haustis. V. G. Agam DEO maximas gratias per Vocatione Indica; si tamen ab ipso, et non ab astutissimo Cacodaemone, et occulta mea superbia et praesumptione forte suggesta est. Si prius; rogabo, ut quod dedit velle, det etiam perficere: si posterius; demisissime Divinam illius Misericordiam deprecabor, ne permittat me in re tanti momenti, decipi ac seduci. & quae Spiritus Sanctus suggeret.

Claudam totam Meditationem cum Pater et Ave.

Omnia ad maiorem
DEI gloriam

[3 right side]

Missionario Orientali necessaria sunt
sequentia

1. Fides firma. Ne ipse tentetur in eo, quod refutat; nulla enim Natio tam rudis est, quae non habeat quaedam verosimilia.
2. Spes solida, et robur animi triplex, ne sint innumera adversa animo cadat.
3. Caritas fervens, quam aquae multae non extinguant: aliorum gravissima onera portet. Omnibus omnia fiat: a nulla gloriae hominum abhorreat.
4. Oratio frequens. Ut semper DEO affixus sit, ut solus DEUS ipsi in desperatis rebus auxilio, in dubiis consilio, in continuis afflictionibus solatio sit.
5. Humilitas. Vere enim inter Infideles purgamenta summum huius Mundi, et omnium peripsema. Non putet sua talenta male collocata, dum tractare pibetur [. . .] cum hominibus infimae sortis.
6. Patientia Invicta. In omni genere adversitatum, quarum nullum ibi deesse puto. Patiendum sibi certo persuadeat ab omnibus, etiam Domesticis fidei, imo a fratribus.
7. Amor Instituti Societatis nostrae. Ne degeneret in quasdam extravagantias per se non malas, quae tamen vita eorum Societati, conformes non sunt, alios offendunt, nocent sanitati, sine utilitate, iudicii pertinaci indices sunt.
8. Solidissima Castitas. In medio occasionum mali ea vita depravatissima illarum Nationum, et mille illicitis ad malum.
9. Persuadeat sibi, perniciosissima esse tenacitate proprii iudicii in rebus communi fratrum consilio agendis.
10. In Conversatione sit religiose gravis, suaviter et modeste

[3a left side]

alacer, facilis in accommodando se genio omnium Nationum. Modesta hilaritas Infideles internorum nostrorum ignorantes, summe aedificat, et vel minime animi perturbatio, et oculorum, vel gestuum immoderatio summe scandali[f]ati.¹

Alphabetum Crucis Indicae.

Abdicatio omnium amabilium.

Barbarorum convictus.

Calores summi. Contemptus in omnibus.

Dolores. Derisiones.

Exercitatio a Nostris.

Fames. Frigora.

Graveolentia.

Habitatio incommoda.

Iniuria. Itenera. Infirmitates.

Linguarum labor. Lassitudines.

Mutatio morum. Martyrium.

Navigatio. Nausea.

Occupationes asperae.

Paupertas necessariorum, potus aquae.

Quantitates periculorum.

Regionum Novitas.

Sitis. Sordes. Solitudo.

Timores. Tentationes. Tempestates.

Vigiliae.

Nimirum haec omnia pericula atque incommoda Christi Domini Nostri causa Suscepta, thesauri sunt coelestibus solatiis refertissimis. Sanctus Franciscus Xaverius in

Epistula liber 2. Capitulum 6. Haec Xaverii imititatores in Indiis quaerunt.

Quorum virtus in omni/Orientis [. . .], et in insectationibus gestata non esse, his nihil

Magnum recte committitur. Sanctus Franciscus Xaverius Indiae Apostolus Liber 4. Capitulum 9.

Cruces videmus. Unctiones non videmus. Sanctus Bernardus

1 Christoph Nebgen would like to thank Julian Schirra (University of Saarbrücken) for transcribing parts of the text; he also thanks Elisa Frei and Claude Pavur (Boston College) for double-checking the Latin of these documents.

[4 right side]

+

Instructio pro Patribus Missionariis profecturis in Chinam
Sine suo Patre Procuratore.

1°, Sciant requiri, ut alter alterum amet perfecta minimeque mercenaria charitate, cum ubique locorum, tum praecipue in Navigatione Oceani, ubi vel maxime missionariis commendatur illud diligite alterutrum, quo evitantur taedia, profecta ex altercatione de rebus nullius momenti, sed quae amarum reddunt animum fratris. Huiusmodi autem amaritudines in maris facile inducunt morbos, etiam cum vitae periculo. Experientia docuit, in Navigationibus longioribus melancholias exortas inter nostros ob altercationes, offensiunculas, et similia, nos privasse praeclaris subiectis. Si quando, quod humanum est, occurrat motus irae, aut verbum excidat, quod laedere possit fratrem, Sol non accidat super iracundiam; Sit prompta et sollicita cum offenso reconciliatio. Ita nunquam fovebuntur melancholiae illae et amaritudines interiores.

2 Semper loquantur honorifice de Natione Lusitanica cuius multum debemus omnes ob ingentem zelum propagandi Sanctam Fidem in oriente, et quia liberalissima pietate multa isthic Societati fundavit Collegia, nec non copiosis Eleemosinis iuvat, atque sustentat nostros Missionarios; et quanquam aliquando in illis partibus, per quas transeunt, videant quosdam mores et consuetudines a suis Provinciis alienas, non tamen damnent, vel improbent. Denique bona semper laudent, et si quid displicet, dissimulent potius, quam ut publice traducant; et hoc propter bonum pacis, et mutuam inter nos charitatem.

3. Nimia intensio et applicatio ad res serias plurimum officit valetudini in navigatione. Neque vero se multum in addiscenda sub itinere lingua Lusitanica, vel alia fatigent. Sufficit mediocritas. Nec unquam deest in nave Regia Capellanus Salario Regio conductus ad Confessiones excipiendas, et Cui ex officio competit navigantibus Lusitanis in Spiritualibus concurrere.

[5 left side]

Illud igitur quod fit a nostris ex charitate, non sit fervor indiscretus, et talis, qui aegritudine et morte Missionem privet subiectis, quae nobis stant sanguine, et destinata sunt ad bona maiora, ut est conversio innumerabilium Gentilium, qui convertendi ea manent. Dixi hoc, quia experientia docuit, in [similibus] navigationibus quosdam e Nostris Missionariis nimis fervidos, dum multas in se susciperent curas, ex nominatim dum totas horas diu noctuque in inferiori navis parte cum aegris versantur etc. Sine debita discretione /. Capellani interea, qui ad id a Rege constituti sunt, otiosis ./ mori, manereque missiones Missionariis destitutas, et multorum Gentilium conversione. Aio requiri charitatem, sed ea sit ordinata, et discreta.

4. Abstineant se in maris a studiis, quae multum fatigant caput, ut sunt Compositiones Concionum, et Sermonum, aut de rebus speculativis. Apud itinerantes plus possunt discursus de Deo domesticis, et Doctrina Christiana, quam compositae, et e pulpito recitatae orationes. Moneo hoc, quia mortua sunt quaedam subiecta in Navigatione, eoquod se applicuerint componendis concionibus, rogatu quorundam hominum Lusitanorum, ad exornanda panegyrico quaedam festa Sanctorum. Sed Missio faciebat iacturam Subiectorum.

5. Quando interdum non actu non pluit, non dimorentur nimium in cameris, sed captandae liberioris aurae gratia prodeant in forum navis, vel ad Superiora Castelli puppis, considendo ad parte, ubi non sit periculum cadendi in mare: quanquam tempore malaciae quantum fieri potest, non exponant se soli. Nihilominus sub ortum, et occasu solis non omittant exire ex suis cameris ad captandam liberam auram.

6. In Maioribus Navigiis Catholicorum, tam Genuensibus, quam Lusitanis, celebrantur Missae. Verum ubi Sacerdotum essent multi, non possent celebrare quotidie singuli, nisi foret dies Paschae aut aliud Festum principale, ubi occasio daretur adornandi plura altaria. Unde si eveniret, ut ab aliquo amicorum vel devotorum offerrentur in Eleemosyna ornamenta necessaria ad celebrandum, acceptent. Siquidem percommodum accidit in longis

[5 right side]

Navigationibus habere huiusmodi apparatus, ut possint in proprio conclavi concinnare aram ad peragendam Rem Divinam. Quanquam si sint multi, licet habeant altare proprium, non tamen poterunt plures celebrare, quam duo circiter quotidie, si mare fuerit quietum. Neque enim expedit in longis Navigationibus neque commodum est, toto matutino tempore occupatum esse cum Missis in Camera. Habeant patientiam, et hodie unus vel duo, cras alii duo, et sic in orbem legant suas Missas, et diebus Festis ii, qui non celebrant, communicent. tum vero prodeant ad hauriendam recentem auram, et recitandas horas canonicas.

7. Quod attinet ad victum, quo ad tempus, qualitatem et quantitatem ciborum, non potest dari regula generalis, quia varii sunt stomachi, vires, et complexionones hominum. Quilibet in hoc se tractet cum discretione et prudentia, habendo semper respectum ad valetudinem, et vires conservandas pro lucro animarum. Sed qui non manducat, manducantem non spernat. Si tamen scire velint illud, quod nonnulli in hoc negotio optimum experti sunt, seque sanos, ac robustos conservarunt in Navigationibus hisce longioribus, et hoc, quod sequitur. Mane post lectum Sacrum, aut post ortum solem, exercitiis Spiritualibus absolutis, faciunt collatiuncula: circa meridiem prandent bene, ad Vesperum occidente sole, vel tardius faciunt alteram collatiunculam. Res, quae sumuntur in Collatione sunt illae, quae magis faciunt ad proprium Stomachum. Iam norunt quibus rebus sibi sit prospectum, accipiant igitur illud, quod minus suae valetudini sit obfuturum. Et vero in navi nunquam deest, nec deesse debet, copia optimi Biscotti, et vini; farcimina, Dulciaria, Bellaria varii generis, panis hispanicus, Biscottuli omnis generis, caseus, uvae pastae, amigdala, nuces, fructus, asservati soliti etc. Haec omnia serviunt pro Collatione, acceptando semper alia, atque alia, prout convenientius vel utilius videbitur. Saepe Collatio fieri potest ex Biscotto elixato, probeque decocto, quem Lusitani Sordas vocant. In prandio abstineant se quantum fieri potest ab esu rerum salsarum in magna quantitate. Libent aliquas res salsas; sed potissimus illorum cibus erit ex rebus non salitis, ut sunt offae ex leguminibus, carnes, aut pisces exsiccati ad aërem vel fumum, Gallinae, et ex his iuscula, quae saltem quot hebdomadis bis deberent apponi. Debetque notabilis provideri copia tam varii generis leguminum, quam Gallinarum adularum, non pullorum, qui

[6 left side]

facile moriuntur, carnum item ac piscium excicatorum. Etc.

8. Notent hic obiter annonae et disponendae, et coëmendae et apparandae curam ac sollicitudinem Ulyssipone Goam, Goa Macaum, Macao usque ad ipsam Missionem Sinicam habituros esse Patres Procuratores Sinarum, quorum unus moratur Ulyssipone, alius Goae, alius Macai. Quare Missionarii, qui tendunt in Lusitaniam sine Procuratore totum habebunt, quod sibi prospiciant pro suo arbitrio ex Italia, vel ex loco unde discedunt usque dum perveniant Ulyssipone, non ultra. Qui autem discedit Genua, debet hoc agere cum consilio et directione Reverendi Patri Antonii Mariae de Nigro experientissimus et quid conveniat solvere pro Navi, et quae sint necessaria subsidia pro mari mediterraneo enavigando comparanda.

9. Notent sane, in Navibus Lusitanis nihil fere esse solemnius quam quod quidam parvuli, vel Nautae, vel milites egeni /. quibus tamen omnibus quotidie ex dispensa regia tribuitur sua portio aquae vini, biscotti, carnum, piscium etc./ adeant nostros Patres ab iisque expetant in Eleemosynam aquas, cupedias, biscottum album etc. Quod si contingat, iubeant illos petere dietas eleemosinas a superiore, vel quicumque annonae curam habebit. Nam haud elapsi sunt multi anni, cum evenit, ut nostri multis manibus et magna liberalitate in hosce homines optima quaeque de suis reculis profunderent, et postea in media navigatione laborarent inopia subsidii proprii, ita ut multi aegrotarent, aliqui omnino morerentur.

10. Praeterea notent, quod Gallinae assumptae pro subsidio maritimo in caveis obferatis, et sua clave instructis magnam postulent attentionem, ne quis aliam clavem accommodet, magnam item munditiem, ne moriantur. Quare necessarium est, ut famuli magnam adhibeant solertiam: et qui annonae praefectus est, curet semper, ut habeat ad manum aliquot Gallinas et alias reculas pro infirmis, casu quo aliquis ex nostris aegrotaret. Non male fieret si prospiceretur de Siringe, quae iuxta linguam Lusitanicam servit per a dares ajudas aos enfermos.

11. Quoad [vestium] apparatus, poterunt eas impetrare a Collegiis ditioribus, unde discedunt in bonum pauperrimae Missionis Sinicae

[. . . aliquot] indusia seu nova, seu non nova, vestes Superiores, et interiores ex panno novo vel quasi novo, cum thorace et tibialibus ex panno quidem a Qui navigant ex Italia Ulyssiponem, aut obti-

[6 right side]

neant in Eleemosinam, aut coemant aliquam Matarazettam victoriam cum sua culcitra, nec non tegumentis ex lana, et uno vel altero pari lintheaminum pro casu aegritudinis. Sunt enim res istae necessariae pro diuturnis Navigationibus. Qui tamen perveniet Ulyssiponem sine dicto apparatu, antequam solvat in Indiam ad-moneat Pater Procuratorem Ulyssipone, ut ipsi dictas reculas pro lecto procuret

12. Caveant diligenter Patres Missionarii, ne relinquant Goae vestes ex panno Europeo, quas tulerunt secum, sed quantumvis necessario mutetur Goae vestitus, totoque tempore, quo ibi morantur pro ratione summis caloribus sese vestiant pannis levissimis illius regionis, debent his nihil obstantibus servare secum omnes vestes, omnes reculas ex Europa allatas. Nam Navigantibus Goa in Chinam poterunt ista esse usui, et in ipsa China, permagni fit pannus Europeanus, ibidemque non decuit illius usus. Monui hoc quia saepius accidit, ut Goae aliqui Missionarii rem non apprehenderent, nec curam haberent suarum vestium ex Europa delatarum, et amitterent: post autem in altera Navigatione, et in ipsa China necquicquam adverterunt majorem debuisse habere earum curam, et secum portasse. Sic etiam aliquos paenituit dedisse, ac distribuisse in itinere, vel in Lusitania, vel Goae, vel Macai nostris vel saecularibus liberaliter quasdam reculas aut sacras aut elegantes et curiosas, quas secum portaverant quibus oportebat donare in ipsa Missione Christianos, aut allicere ad Conversionem Gentiles. Sed sero nimis agnovere errorem.

13. Ut habeant porro notitiam rerum Europearum quae possint usui esse in China, ne supervacaneis se onerent, et ut sciant quid respondere debeant amicis, et devotis adventibus scire, quid nam possent Missionariis offerre, quod servent ad Sinas, ibique esset in precio, notentur breviter sequentia. Icones Salvatoris, Beatae Virginis, et Sanctorum, tam impressae, quam pictae sive in charta sive in membrana. Reliquiaria, medalia, cruces Caravaccenses, omnis generis. Pulchra Emblemata chesium [phe...] Caelaturae profanae, honestae ut hortorum, et viridariorum, Scenographiarum, urbium, Palatiorum, pugnarum terrestrium ac navalium, Regionum. Effigies hominum illustrium,

mappae Geographie, et Similia. Res ex vitro, et crystallo
cuius cunque generis. Ex corallis, vel ambra omnis generis.
Margaritae fictae. Variæ armillæ compositæ ex gemmis falsis, aut

[7 left side]

ex vitro, vel crystallo, cuiusmodi utuntur mulieres ad ornatum
Spiræ item, rosaria, nodi confecti ex vitro vel crystallo. Cum
Spicilia simplicia pro Presbytis, ibidemque varii coloris sive ex
vitro, sive ex crystallo. Tubi optici parvi et magni; specula ex
vitro, vel crystallo, parva et magna, omnis generis. Quodam
raritates, et curiositates ex vitro vel crystallo plurimi fiunt
apud Sinenses. Capsulæ, cultri, fuscinalæ, omnis generis,
magnes, Solaria, horologia universalia. Rotatilia,
si offerantur in Eleemosynam, acceptent, sed nulla emant, nam
hodie in China non esse magnus eorum usus. Potius Horologium rotabile
parvum ex ferro cum ponderibus in usus nostros domesticos.
Instrumenta mathematica omnis generis. Libri mathematici
recentiores maxime Astronomici, et quidquid novorum prodiit, prae-
sertim in Astronomicis, et calculis Eclipsicis. Missalia, Brevi-
aria, ritualia, calices, patenæ, corporalia, pallæ, strophiola, et
alia lintea delicatiora in usum altaris. Denique quidquid in Euro-
pa Curiosi et novi inventum est, quantumvis precii exigui,
plurimi fiet apud Sinas. Sciant tamen Missionarii me res
predictas in usum Chinae hic solum declarasse, ut eas scirent
non quod quilibet Missionarius teneatur secum ferre vel
omnes, vel etiam aliquas earum. Satis enim mihi erat, si
saltem noscent, quid vel pro solatio Christianorum, vel pro fa-
vore Gentilium Gubernatorum conciliando esset opportunum.

14. In urbe Goa non multum ostendant regularum, quas
secum portant. Curent etiam ne multum exponant soli, qui
plurimum ibi est noxius. De fructibus Indicis comedant mode-
rate. Non se multum applicent compositionibus seriis aut spe-
culativis, ut se conservent incolumes per illud tempus, quo
ibi morantur operiendo motum Ventorum faventium Navi-
gationi in Chinam, quando naves Mercatorum Macaum solvent.

15. Denique occurrit mihi commendandum omnibus, ut si
Eleemosynæ loco acquirerent pecunias /. ratione, paupertatis
Gloriosæ Missionis Sinicæ quilibet Missionarius habet facul-
tatem mendicandi ./ velint ferre secum vel in Viatici subsidium

Ulyssiponem usque, vel certe ubi de viatico aliunde foret provisum in Missionis Subsidium, hoco modo. Missionarii qui

[7 right side]

ex Italia tendunt in Lusitaniam, antequam Genua solvant, seponant tantum pecuniae, quantum sufficit pro Viatico Ulyssiponem usque /. Qui tamen non haberet viaticum, quo Genua navigaret Ulyssiponem, accipiat id a Reverendo Patre Antonio Maria de Nigro, ego enim dicto Patri, exacte refundam omnia ./ residuum omne pecuniarum, quas habebunt, commutent Genuae cum litteris Cambialibus ad Mercatores Ulyssiponenses directis. Si enim ferrent secum pecunias Ulyssiponem, paterentur damnum notabile. In suscipiendo hoc Cambio utantur consilio ac directione Reverendi Patris Antonii Mariae de Nigro. Ubi Ulyssiponem pervenerint, priusquam solvant Goam commutent omnes pecunias suas con pezze da otto, quas Lusitani Patacos de Espagna vocant, quae tamen fuerint iusti ponderis, et nominatim, quae in Indiis in usu sunt, cuiusmodi Ulyssiponem iam erunt experti, qui norint, ac distinguant. Has dein Patacas de Espagna ferant secum Goam, quae ibi sunt admodum in precio. Goam ubi tenuerint, consulant negotii expertos, quibus rebus commutanda sint dictae Patachae, ut nihil pendatur in China, et cum eorundem consilio curent sibi res illas Goae coëmi, secumque Macaum ferant. Macai consignent ea omnia Patri Procuratori Chinensi, qui in Collegio residet, simulque per litteras commonefaciant Reverendum Patrem Provincialem Chinensem, tam de suo adventu, quam de quantitate et qualitate rerum Patri Procuratori consignatarum, et allatarum in subsidium Patrum Missionariorum, atque ab illo expectent ordinationem ingrediendi Missionem vastissimi Imperii Chinensis, et in suis Sanctis Sacrificiis pro me DEUM orent. Romae. 18. Decembris Anno 1671.

Reverentiarum Vestrarum

Indignissimus Servus in Christo

Prosper Intorcetta.

[8 right side]

Puncta

Reverendo Patre Beato Amrhyn a quodam Amico communicata, cum Suo in Spiritu, et aliorum etiam spirituali profectu

1. Cum Divina Gratia vitam suam deinceps ita instituat, ut omni anxia sollicitudine rerum suarum futuris dispositionibus aut eventibus amandata /. postquam nimirum adhibitis consuetis mediis, fecit quidquid portuit ./ atque in Sancti Christi Domini Vulneribus sepulta, et commissa maternae curae Sancti Dei Genitricis Mariae, ipse totis novibus muneri illi recte obeundo se impendat, quod divina Providentia per nutum Sanctae obedientiae illi iniunxerit.

2. Conetur in suis actionibus omnibus illud unum sincera et humili mente quaerere et desiderare, ut Divinae voluntati ac Beneplacito satisfiat, cui se totum in victimam et holocaustum consecrare statuit, ita posthabita omni ratione famae, vitae, imo et excellentia quadam specialium Dei donorum, libenter velit ibi vivere, illud agere, et pati, quod divina Majestas ipsi voluerit imponere.

3. Studium Religiosae perfectionis serium, et emendationem vitae non differat in futura tempora propter expectationem Missionis Indicae, et meliorem occasionem in ea obventuram: sed iam nunc incipiat cum divina gratia singulas operae, totius die ex proscripto Regulae, aut instituti nostri consuetudine, aut ex peculiari officii sui obligatione, et ratione ita peragere, ut semper in Dei voluntatem et beneplacitum intentus, faciat id tantum, quod DEUS vult, atque hanc simplicem intentionem conetur saepius interdum renovare, praesertim cum ab una functione ad aliam transeundum est.

4. Christus JESUS in cruce desolatus, nudus, despectus, et doloribus obrutus, sit ipsi exemplar vitae religiosae semper ante oculos positum, et cordi impressum; in hoc libro vitae simplicii consideratione quaerat saepius instructionem de vita ad DEI beneplacitum instituenda, et nominatim lumen ad agnoscendos suos defectus, quibus fortassis impedit DEI circa se Providentiam, quo minus utile fiat instrumentum ad DEI gloriam et multarum Animarum

[9 left side]

salutem promovendam: reputet autem pro summa gloria, si huic crucifixo Regi suo in aliquo possit assimilari, cum ipso aliquid pati, discat habere pro solatio et pro sumis divitiis propter Ipsum carere omni bono erecto.

5. In parvis et quotidianis occasionibus exercenda Caritatis et patientia, quae multa ubique occurrunt, fidelem se Christi Crucifixi socium exhibeat, et amplectatur parvas has Crucis particulas magno animo,

tanquam speciali DEI Providentia et favore ipsi submissas, ad exercitium quoddam animi adhuc debilis et infirmi, nec satis apti ad maiora ferenda.

6. Omnem melancholiam et tetricas cogitationes atque sollicitudines, quae animum ad obsequia DEO exhibenda languidum, et segnem reddunt, vitet studiosissime, et quamvis negotia et occupationes ipsius non ita feliciter aliquando succedant, sicuti optaret, tamen hilari et prompta mentem perseveret in labore, hoc uno solatio contentus, quod Divinae voluntati et Beneplacito non irriti conatus nostri satisfaciant, si ex nostra parte nihil debiti studii desse patiamur.

7. Petat quotidie in sacrificio Missae, tenens in manibus sacra Hostiam, ut Christus Dominus ipsum recipiat in Societatem suae Crucis, atque participem faciat paupertatis, humilitatis, et patientiae fundatae in vera, et sincera Caritate Dei et Proximi, ut ita Christo confixus cruci se totum possit impendere Divinae gloriae et animarum salutis, ubicunque Divina Majestas voluerit illius opera uti.

8. Talem crucem, in qua Christo confixus sit, imagnetur sibi esse Occupatione illa et officium, in quo Sancta Obedientia illum constituit, et quamvis variae cogitationes illi occurrant, quod alibi plus boni posset praestare, cogitet hanc esse tentationem, qualem Christus Dominus in cruce sua passus est ab illis, qui dixerunt: descendat nunc de Cruce et credimus ei; ille autem intentus in unicam voluntatem caelestis Patris sui implendam, maluit contemptus mori, quam eam deserere, et gloriosior apparere, ita et ille conetur tanquam verus Socius Iesu, implendae Divinae voluntatis usque ad mortem se impendere, et certo credat, nihil maius, aut dignius in Caelo aut in terra a quoquam praestari posse.

[9 right side]

9. Quotidianum et specialem cultum exhibeat Beatissima Virgo Maria in hanc finem, ut illa velit huius negotii perficiendi cura suscipere et nobis vicissim impetrare verum spiritum Societatis IESU, quo nobis ac Mundo mortui, non quaeramus, quae nostrae sunt, sed quae IESU Christi. Ad eundem finem invocet quotidie gloriosos Martyres et strenuos Christi athletas, qui labore, sudore et sanguine suo illam laboriosam vineam excoluerunt, et inde in caelos assumpti sunt, ut mereatur in partem tam sancti labori, et praemii aliquando admitti. Addat etiam his precibus pondus aliquod quotidianae alienius mortificationis suorum

sensuum et passionum, ut ita per manus Beatae Virginis Mariae quotidie DEO aliquam munus et sacrificium de se offerat, et vicissim ab eo sperata gratiam mereatur impetrare.

10. In his tamen omnibus maximo studio semper conservare conetur perfectissimam resignationem, et conformitatem suae voluntatis cum Divina, et sic animo comparatus sit, ut si ipsi daretur optio eligendi ex omnibus bonis desiderabilibus, quaecunque vellet, hanc ipsam electionem, posthabito omni suo commodo, mallet transcribere Divinae Providentiae, et illam suppliciter rogare, ut in omnibus sic de ipso disponat, sicut expedit ad majus DEI beneplacitum, cum firmissimo proposito, sanctae illius ordinationis in omnibus libenter acquiescendi usque ad mortem.

11. Et hac tandem ratione ineat cum Domino DEO humilis et sincerae amicitiae pactum, qui illi omnem de se atque suis rebus curam transcribat, sibi autem hoc unum reservet, quod toto studio allaborare velit, ut ubique impleat Divina voluntatem: in quo, si de fidelem praestiterit, experietur etiam DEI Providentiam mire erga se beneficam et liberalem, ita ut suis rebus nulla alia ratione melius prospicere possit.

[10 right side]

IHS

Quomodo rudes instruendi sint?
In America seu Aethiopia

1. Si habeant usum rationis, et aliqualem notitiam huius sacramenti et praecepti, tenentur confiteri; secus, si invincibili ignorantia laborent. Parochi autem et Domini, si eos docendo capaces non reddant rationem reddere debent.

2. Aethiopes, Indi, et alii neophyti tenentur scire necessaria ad consequendam aeternam salutem, qualia sunt credere DEUM esse Unum in essentia et Trinum in personis; et ex his secundam, Filium DEI scilicet hominem factum fuisse pro nobis in Utero Virginis, ex ea natum, et passum, et mortuum pro nostra, totiusque Mun-

di salute, surrexisse a mortuis, sedereque ad dexteram DEI Patris, indeque venturum, ut iudicet Mundum, bonisque aeterna praemia, malis aeterna supplicia largiturum. Insuper tenentur scire Pater noster, et orare, et mandata DEI et Ecclesiae observare. Non tamen obligantur haec omnia in memoria retinere; sufficit quod substantiam aliquo modo percipiant, et interrogati bonum a malo distinguant. Cum autem ex incuria sua, vel dominorum nec Pater noster, nec Credo didicerint, non sunt absolvendi, donec addiscant; senes enim nunquam addiscent: Si vero nec culpa sua, nec dominorum, sed ex naturali incertitudine praedicta ignorant, juvandi sunt, ne tanto beneficio priventur, possuntque audiri et absolvi, admonendique sunt prius, ut de incuria in ad discendo, si quam habuerint, conterantur.

3. Insuper admonendi sunt Sacerdotem Christi vicem gerere ad remittenda peccata; ideoque Christianos

[11 left side]

ad Confessionem accedere. Interrogandi etiam sunt, quem adorent audientes sacrum, sufficietque si dicant ibi esse Christum verum DEUM et hominem. Interrogandi tandem sunt, quare praedicta haec omnia credant, docendique sunt ideo credenda, quia Verba DEI sunt.

4. In articulo mortis, cum per tempus aliud non licet, sufficiet eos docere DEUM esse remuneratorem, et Christum Filium ejus verum DEUM et hominem, Mundi Redemptorem; et licet, haec quomodo sint, non intelligant, sufficiet quod assentiant, et credant. Hoc est valde advertendum, quando aliter non possunt instrui, satis est, quod respondeant se credere, quae a Confessario proponuntur ut dicta DEI, licet non intelligant. Idiota enim vere credit, licet non capiat, quae continentur in Bibliis.

5. Quamquam non bene examinati, nec cum debito dolore miseri hii ad confessionem accedant, benigne iuvandi et audiendi sunt; partim enim continuo labore, partim naturali incapacitate excusabiles sunt. Expona-

tur eis immensus DEI amor erga homines, et praecipue erga pauperes, et quomodo eis de caelis benefaciat; et admoneantur, ut de peccatis doleant, quia optimi Patris ac Domini offensae sunt. Induat Confessarius viscera piissimi Patris, et omnibus omnia factus instruat cum patientia paenitentem suum, dicatque ei: Studi fili, et vide, et scito, quia intra hoc corpus tuum latet anima tua, quam DEUS creavit, et quae nunquam moritura est: si bene vixeris aeterno gaudio perstrueris in caelo cum DEO semper vivens. DEUS est, qui caelum et terram fecit, et omnia haec quae vides. Ipse te multum diligit, oculos, manus, et pedes, et omnia quae habes

[11 right side]

ipse tibi dedit, ama eum ex toto corde tuo, ipse est Dominus tuus et omnium hominum, ipse pro te de caelo descendit, natus est de Virgine, et ut tibi vitam aeternam daret, mortem non recusavit. His et similibus verbis instruetur pro captu, et repetitio actu contritionis, dummodo dictis annuat, sine scrupolo potest absolvi.

6. In examine haec observanda. Sinat eum sua peccata confiteri. Si nullum dixerit, vel pauca, et sistat, interroget ea, in quae ut plurimum incidunt Aethiopes et Indi. quaerat de numero, et de specie, et faciat, quantum in se est et quamvis credat multa peccata habere, quae propter incapacitatem non declarat, quoad numerum vel quoad speciem, dummodo materiam absolutionis extorserit servatis praedictis, potest eum absolvere; integra est enim formaliter confessio, et tam paenitens, quam Confessarius, quantum moraliter possibile est, faciunt; nec, si paenitens dimittatur per totum annum examinandus, cum meliore dispositione redibit.

7. Pro satisfactione imponatur eis captivitas et egestas, et omnia alia quae in servitute patiuntur, et primam Missam, quam audituri sunt, et ut ibi aliquid breve, ut Pater noster et Ave MARIAE recitent, etiam pro gravissimis delictis; haec enim patienter sublata, et DEO oblata sufficiens satisfactio cum meritis Christi videntur.

8. Qui linguam Indorum non bene intelligunt, et Parochi eorum non sunt, sed gratis, ut Sacerdotes nostrae Societatis huic pio ministerio se dicant Zelo animarum, quia rari sunt, qui serio eorum salutis incumbant dummodo aliqua interrogando statum paenitentis, et dolorem de praeteritis, et propositum se emendandi cognoscant, licet

[12 left side]

peccata omnia, quoad numerum et quoad speciem, perfecte non capiant, tuta conscientia possunt Indorum confessiones audire. Hi enim miseri plures habent spoliatores, quam confessores, qui ipsorum incumbant animarum saluti.

9. Circa Aethiopes minus dubium est, quia cum nemo sit, qui illorum linguam calleat, omnes in hoc sunt aequales, et ipsorum necessitas exigit, ne absque salutis remedio deferantur.

10. Parochi Indorum tenentur addisere eorum idioma, et in eo peritiores praeferri debent ab Episcopis ad beneficia curata. Si autem bene intelligentes linguam non habeant, addiscere incipientibus possunt tuta conscientia Indorum Parochias committere.

11. Quando audita Confessione dubius manet Confessarius, an paenitens sufficienter dispositus sit ad absolutionem, praecipue si est rudis et incapax melioris dispositionis, potest eum absolvere sub conditione, quia in hoc casu nec ipsi paenitenti, nec Sacramento fit injuria.

Ex Floribus summarum sive ex Alphabeto moralis. Patris Ioannis de Alloza Societatis Jesu Theologi e regia civitate Lima.

[12 right side]

Responsa Reverendi Patris Henrici Roth his quaesitis data 27. Julii [1664]²

2 This portion of the document was previously published in Nebgen, "Georg Lyprand und Heinrich Roth."

Quaero. Quoties interim petenda est Missio Indica apud Superiores Romae.
Respondit. Scribendum Patri Assistenti singulis semestribus, modo non mense
Januario
et [.....bri.....]
et Consultorum omnium Provinciarum litteris aliàs obruuntur Romani.³

Q. In quâ re seu scientiâ maximè nunc se exercere Candidatus debet et
pote[.....]
R. Aliquas praxes Mathematicas nôsse mirè iuvat his in Regionibus, et [.....
vehementer]
trahuntur. Proderit, nonnihil posse pingere, pro terrarum [.....posses
me-]
liori, etc. Speculativa Mathesis Pechini in pretio est Sinensibus.

Q. Cùm impetrata Missio Româ est, quid potissimum agendum?
R. Pater Assistens in omnibus providebit. Sumptus P. G[eneraliseat, et
dirigit].

Q. Quid pro itinere sumendum?
R. Duos libellos spirituales. verbi gratia Thomam de Kempis [et alterum
Evangelium] et si placet, adhuc alium libellum spiritualem, accipiat.
2. Breviarium.
3. Tria indutia, non plura, Duo paria soccorum. Si enim [.....gebit egregie et]
fieri, quantum est necesse.
4. Libellum Medicinalem utilem. Et certè aliqua Medicinae [notitia imprimis
iuvat maximè in] Turciâ, si casus acciderent varii.
5. Duo unguenta satis larga et ampla: Unum pro ustione vel [.....]
Alterum Vulnerarium.

[12v]

6. Pilulas, ut vocant, Doctoris Mülleri, quas in Indiâ facere non possunt (quamvis
possit id Pater Rott) in capaci pyxide; vel Pilulas, quod aiunt, Emanuelis.
7. Theriacae ad minimum quatuor uncias. Haec enim pro Viatore, et aliis mirè
quadrat. Pater Henricus accepit secum duo integra pondo. Romanam Theriacam
insigniter approbat. Singulis mensibus certò accipit sumitque pilulas Mülleri-
anas, et quoties putat esse opus; quia ait, evehendas esse faeces, quae ex herbis
illis et cibis indubitatè corpori adhaerescunt.
Pilulas et catapotia alia faciunt quidem in Indiâ, et medicinalibus bene instructi sunt.

3 This part was first transcribed by Claudia Wiener and Veronika Lukas in the volume
ed. by Veronika Lukas, Julius Oswald SJ, and Claudia Wiener (*Regensburg*: Schnell und
Steiner, 2022).

Duos saccos coreaceos, quibus haec omnia includat. Imponat hos utrinque equo suo quem poterit sibi emere. Camelo certè nunquam vehatur. Est enim (verba illius sunt) certa mors.

[Ves]tibus se in Moscoviâ, quantum potest, optimè muniat. Hoc enim necesse est.

Q. [In terrâ] Gentilium quomodo se gerere debet? an exercere omnia Religionis, et Fidei sacra potest [.....] offendere.

R. [.....]legerit] Breviarium. Româ vero prohibitum est, ne Nostri Turciam per-
transeuntes [.....]legant], propter inconvenientia certa, et cavendam iniuriam, quae Deo afferri [.....]Pater] id fecit quidem, sed porro id agere vetitum est. Aliàs dum in loco [.....]mus], liberè ubique fidem propagamus, sicut in Europâ, in Catholicâ [.....]tis] timoribus Deo dudum donatos nos, commendamus. Quotidie [.....] in Missione. Non tamen unquam admittuntur Mahometani, ne contume[liam]ant]. Quò ferventiùs de Deo loqueris Orientalibus Indis, eò se pluris[.....]bent libentiùs.

Q. D[.....]in] Missione morituri Sanctum Viaticum? et quomodo? Quoties Christiani confitentur [quo.....]

R. [Noster maximè] in vehiculo excurrit, et in pyxide satis latâ portat ex collo Sanctam Eu- charistiam, et [cum.....] ferox, [. . .] aegris praebet. Ceterum quoad confessionem, statum ordin[em] inter [so.....]Quidam in] singulis octiduis, alii 14. diebus, nonnulli post mensem unum, duos et

[13r]

prout Patri videtur. de quolibet statuendum, et eodem modo postea sacro e[pulo]

Q. Quamdiu, et ubi Nostri solent discere linguam gentis illius? Et quot linguas discunt Nostri [.....]?

Estne certum tempus Goae solis linguis datum, ut dicitur? Omnes missi Goam, mittun[tur ad missiones?]

R. Germani facillimè discunt eam linguam Indicam, propter asperitatem quandam etiam Germanis [.....]practicè] solùm Indicam discis, neque aliter. Ex vocabulario tam parùm proficies, [aitdebeas] iterum dediscere. Nemo discit, nisi socium Indum vel natum, vel ibi diu commor[at]um habeas ob pronuntiationis difficultatem. Goam venire necesse non est. Imo etsi per [.....]mittereris] facie, consultò id, quod plurimi, et quoque Pater Henricus fecisset, si scivisset. [.....]Patre] Generali, si ipsi videbitur, ut sine ullâ dependentiâ à Goanis in Ind[.....]P. Buse] us Romae in Chinam destinatus est, manet tamen, ex Goanorum dispositio[nein Mogor] neque forte unquam Sinas aspiciet.

In viâ debet aliquis esse curiosus, et esse instructus scri[pt.....] notet, quaerat continuò, quis sit hic locus, quis ille? Lusitani [.....] linguam veluti adhuc Europaeam facillimum est discere, prop[tertispanam] quod sibi petat reddi Indico idiomate, et tum notet. Pater Henricus [.....ha] bet. Lusitanam autem linguam proficiscendo per Portugalliam fac[il.....]

Q. Multumne scientiis opus est apud Gentes illas? Et quânam [..... Theologia] Philosophiâ an practicis magis quàm speculativis. An Casibus vel Controvers[iis.....]

Et an Historiâ Ecclesiasticâ, aut profanâ? Et an regnorum mundi [.....]

R. Theologiae maxima fundamenta sunt neccessaria. De Sancta Trinitate [..... Incarnatione ...] Omnia similitudinibus explicanda sunt. Subinde obiiciunt acutè [.....]uuntur, quam non enucleatè examinant, et mox contenti sunt. [.....] utrumque ignorant, sicut et Historiam Ecclesiasticam, [Profanam.....neant] De Alexandri Magni historiâ nihil dic Indis, [n... nostraeprorsus] aliis de eo libris instructi, et opinionibus. Si nostram dice[.....etiam fidem] aliis omnibus

[13v]

[..... ab]didit. Casistam [.....] Theologia [.....] illis imbuendis suffecturum.

Q. [An] omnes cum Principibus agunt? Et suntne iis maximè, quos neccessariò aggrediamur, si speramus [con]versionem. Et quomodo supra nostros Principes cùm iis agendum? An audiunt libenter [.....] Europaei Reges etc. laudentur, et eorum status declaretur? Quâ re maximè capiuntur Reges Indi, et quâ Populus?

R. [....] qualibet civitate est unus Vice Rex, cui noster inservire vehementer studebit et prudenter. [.....] Principum Regumque errores defendi debent, quantum fieri potest: si defendi non [possunt] more gentis petenda loquendi venia est, et tum acceptâ (ut sunt in concedendâ [faciles] graviter, amiceque proponendus error. De Europaeis libenter audiunt, contemni se tamen [.....] non patiuntur. Modestiam exteriorem omnis passionis expertem valdè curant [Reges et Populus], et quidem non austeram, sed hilarem. Adeo, ut Pater Roth, cum melancho[liam animad]vertit, incluserit se domi, et publicum vitaverit, ne Indos offenderet, cùm non [.....] erga illos liberalis. Hanc Modestam Hilaritatem magnopere [.....tunt]. Non curant Indi modestiam interiorem, humilitatem animi etc. [et]iam; haec enim ignorant omnia, solum externa attendunt.

Q. [..... Germanis] facilius esse iis in terris, et quare?

R. [Ita.] corporis robur, et laboris amorem, et linguarum capacitatem.

Q. Corporis [..... afflictiones] adhibendaene sunt singulares in itinere, et loco ipso?

R. [Ita.] Accipiantur à Divinâ manu promptè et patienter ea, quae occur[runt] continuò sponte Caelum mittit. Pater Henricus affirmavit, vitâsse se quasi, quoties [..... veniâ] Numinis licuit, multas afflictiones corporis, datâ operâ. Et [..... Zelot... ..] quendam Spinolam nimis praematurè obiisse, sine magno et sperato [animarum fructu eae consue]tudines regionem illam aestuantem semper obierit. Corpus igitur

[14r] in viâ [.....] religiosè et bene habendum, certè enim egerit alias satis. In [.....] ipsâ, Religiosè vivendum.

Q. An cum in Indias venit, continuò Noster domum habet, et quomodo se insinuat, si [non habet]

R. Cùm eò venis, esto familiaris erga omnes, sed graviter et modestè. In signum [amicitiae] barbam Viris tange, et amicâ manu leviter prehende, et si habes domum [.....] invita. si non habes, inservi graviter et modestè, ubi ubi potes. Omnes te statim [amb.....honest.....] humanèque hospitium offerent, donec fias notior, et tibi certi aliquid procures.

Q. In eâ domo alienâ vel propriâ tutusne quis habitat?

R. Tutus in China, quia urbes muris sunt cinctae; periculosiùs autem [..... ubi aperta sunt] omnia praedonibus nocturnis. Igitur Cives omnes communiti [insigniter tuean]tur, familiamque universam. Et quoque Noster id facit iure [.....]

Q. An victus sufficiens in Missione?

R. Sufficiens. In China tantum vescuntur carnibus. In Mogor herbis [.....deret,] subinde tamen forte parùm habet, et curtè vivit.

Q. Vivuntne Nostri ex Eleemosynis largis, vel petunt?

R. a Christianis nihil audent petere. Oblata tamen ferè [ae.....Superiores] de reliquo provident.

Q. De die et noctu quomodo se occupat?

R. Nihil certi statui potest aut dici. Ubi fructus speratur [..... et quaerendae tantum] noctu, maxime in viâ egregiè refocillandum est corpus quiete [..... possit] iterum vires restauratae hoc modo, evanescent paulò pòst [.....]

[14v]

Q. [Estne] domi socius, qui coquat, et comitetur alias?

R. Sunt domi meae Tres Christiani, qui se offerunt et continuo custodiunt domum. Plures d[omos] proprias habeo in pluribus civitatibus praestantioribus. Excurrentem comitantur Christiani.

Q. [Estne] occasio laedendae Paupertatis? Et ubi maximè?

R. [Est] non magna, certè laxus nisi fortè nimium sim sic dicendo, Pater ridens inquiebat, Bona et commoda ne sperne. maximè in viâ, et à Deo cum gratiarum actione accipe. In Moscoviâ [ne] parce sumptibus pro coëmendis vestibus, etsi vix portare eas possis. Vidit Pater [.....] unum sui vestiendi negligentem, cui prae frigore digiti manûs deciderunt.

Q. [.....] difficilia iubet? et ubi maximè, in quibus rebus?

R. [.....anorum] difficilis est obedientia, ubi Nostri à se invicem tragica quaedam [.....] At in Mogor, et reliquâ Indiâ, qui contentus est suâ Missione, [.....]tur.

Q. [.....] pericula gravia, et singularia? pluraque et maiora quàm apud Nos? R. [.....]ebat Pater, rem ipsam, ut est dicere. Pericula sunt ibi magna: [.....] procacissimae, et mille modis insidiantur, Europaeis maximè. Non tamen, [.....] Patres et Societatis, quos potiùs stricto silentio reverentur. De [.....]ando ex lege Societatis nemo sit sollicitus, tot enim tibi, et tuis rebus [.....] etiam minimis attendunt Christiani et alii, ut si minimum continget[ret]palaretur. At singularis Dei Benedictio est: Nihil ab operariis [.....]gen]ere mali umquam gestum. Igitur incolae nostros Deos et Angelos [Incarnatos] vocant, quod non faciant ea, quae negant, posse hominem alium non facere.

Q. Sunt [omnes..... ..pl.....] ubique?

R. Ordin[... ..pl...] sed P..... Christianis semper, si non cum nostro socio.

[15r]

Q. Possuntne Nostri sibi invicem scribere in necessitate?

R. Ita.

Q. Estne universim loquendo, tacitè, tardè, et quasi per cuniculos, aut potius ardentissi[mè cum] Christianis agendum? ut veri sint Christiani.

R. Ferventissimè, et ut in primitivâ ferme Ecclesiâ.

Q. Quomodo fidunt recens conversis? nullane timenda proditio? Aut si [..... tera]?

R. Fidunt et agunt cum hominibus, ut hîc locorum, Et bono Deo se committ[unt; sed cum Moh]ametanis nihil agitur fructuosè, quidquid agitur. In Turciâ debet aliquis [.....] medicinâ, et tunc fortè aliqua bona occultè potest praestare.

Q. Quid in periculis et timoribus agendum?

[R.] Deus solus et unus invocandus, cui ab [.....] integerrimè obtulit.

Q. Quid in dubiis casibus?

R. Consulendus Deus fidelis, et ratio.

Q. Quidnam maximè cavendum in loco, et viâ?

[R.] Tetricus m[.....endi] cum hominibus cane peius et angue vitandus, nisi velis frustra labor[.....] sumptuum parsimonia.

Q. Quid curandum?

R. Deus, Modestia, Hilaritas, et Oratio.

Q. Quidnam est omnium difficillimum, et gravissimum perpessu?

R. Si Missionarius videat laborem suum esse inanem, vel deesse occasiones missionandi.

Praeterea addidit, In Sinas ituro necessarias esse hoc tempore duas [linguas] Tartaricam et [Sin]ensem quae est facilior, quantum rumor sit. habet enim omnino non plu[raSi]nensis lingua [.... verba, quam] septuaginta millia; et unum verbum saepe decem res significat diversas. [..... lingua] una solum est necessaria. Quò plures autem discis, eò est melius, maximè si Brahmanica scias.

Interview with the Missionary: Frequently Asked Questions for Jesuit Petitioners for the Indies
Elisa Frei and Christoph Nebgen

Copyright © 2025 by Elisa Frei and Christoph Nebgen
Published by the Institute of Jesuit Sources

Library of Congress Control Number: 2024950230
ISBN: 978-1-947617-29-2 (hardcover)
ISBN: 978-1-947617-41-4 (pdf)
ISBN: 978-1-947617-36-0 (epub)
DOI: 10.51238/oaJY41a

This is an Open Access title distributed under the terms of the CC BY-SA 4.0 license, which permits copying and distribution of the material in any medium, provided the original author(s) and source are credited, and that any transformed materials are distributed under the same license as the original.

The Open Access publication of this book was funded by the Open Access Publication Fund of Goethe-Universität Frankfurt am Main.

Institute of Jesuit Sources reserves the right to protect this publication against unauthorized use. For further information about this publication or other works of the Institute of Jesuit Sources, please contact:

Institute of Jesuit Sources
at the Institute for Advanced Jesuit Studies
Boston College
140 Commonwealth Avenue | Chestnut Hill, MA 02467 | USA

Email: iajs@bc.edu
<https://jesuitsources.bc.edu>



Cover Image: Cornelis Galle and Philippe Fruytiers, “Societatis Missiones Indicae” in *Imago primi saeculi Societatis Iesu: a prouincia Flandro-Belgica eiusdem Societatis repraesentata* (Antuerpiae, 1640), 326, engraving.
Cover Design: A. Taiga Guterres